Ros Dok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

# Carmina Gratulatoria Honoribus Doctoreis ... Dn Johannis Latermanni, SS. Theologiae in Academia Regiomontana Professoris Publici, In celebri Rostochiensium Academia 22 Iulii Anni cI Ic XLVII. in templo Mariano collatis. a ... Decano ... Dn. Johanne Cothmanno, SS. Theol. D. ... Rectore ... Dn. Hermanno Schuckmanno, SS. Theol. D. ... Eodemq[ue] Procancellario. a Fautoribus, Promotoribus & Amicis Rostchiensibus

Rostochi[i]: Richelius, 1647

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738057681**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Verf.: J. Lütkemannus
J. Cothmann / 16
R. U. theol. 1646.
1647

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738057681/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738057681/phys_0002
DFG

320

# CARMINA GRATULATORIÆ
## HONORIBUS DOCTOREIS
*Reverendi admodum, Clariſſimi & Excellentiſſimi*
## VIRI
# Dn JOHANNIS LATERMANNI
SS. Theologiæ in Academia Regiomontana
Profeſſoris Publici,

In celebri Roſtochienſium Academia 22 Julii
Anni cIↄ Iↄc XLVII. in templo Mariano
collatis.

à

Spectabili tum temporis DECANO
*Viro pl. Reverendo, Clariſſimo & Excellentiſſimo*
**Dn. JOHANNE COTHMANNO,**
SS. Theol. D. & P. P.

RECTORE MAGNIFICO
*Viro pl. Reverendo, Clariſſimo & Excellentiſſimo*
**Dn. HERMANNO SCHUCKMANNO,**
SS. Theol D. & Prof publ.
Eodemq; PROCANCELLARIO.

à

*Fautoribus, Promotoribus & Amicis*
ROSTCHIENSIBUS.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

ROSTOCHI
Excudebat Johannes Richelius, Sen: Typogr.

Sic eſt; Ex verbis, qvæ ſit ſententia menti,
Mortalium concluditur;
Abdita noviſſe, & cordis penetrare receſſus,
Soli Deo ſit integrum;
Ut damnant hominem, ſic juſtum VERBA recenſent;
Nec ſuſpicatur Charitas.
Non temerè, non antè refers Doctoris honores,
Quam ſenſa verbis explicas:
LATERMANNE; Tuis ſtudiis donisq́; precamur,
*Sit meta Chriſti Gloria.*

*Ità dixiſti, & ità gratulor*
*honoribus tuis*
***Hermannus*** **Schuckmann/**
*Th. D. Prof. & Acad. Roſt.*
*p. t. Rector.*

*Virgo Theologia eſt, nullis temeranda cavillis;*
*Virgo Theologia eſt, caſtè tractanda; pudice*
*Suſcipienda; manu non contingenda petulcâ.*
*Hæc mi* LATERMANNE *tibi conjungitur: illam*
*Sanctè habeas, natam noſti de numine ſummo.*
*Huic ceu proſtibulo illudit, qui nutibus illam*
*Inſervire ſuis poſcit, loligine linguæ*
*Aſpergit, partes nunc has nunc flectit in illas.*
*Quas tibi ſumme pater, pœnas perſolvet iniquis*
*Litibus hancce tuam natam involvens? age, linguâ, &*
*Pennâ & mente ſimul, tantæ ſectemur amores*
*Divæ concordes, illâq; favente fruamur.*

Johannes Qviſtorpius, D. Th.
Facult. Sen: & Superintendens.

QVi ſervus Chriſti verè cupit eſſe fidelis
Hunc dolor & lacrymæ, & magna pericla manent.
Sed qvi legitimè certant, hi deniq; vincunt,
Horum exornabit læta Corona caput.

*Hoc ex animo fauſti ominis ergò apposuit*

*Johannes Cothman, D.*

*REgius haut dudum Tibi Mons accendit amores,*
*Et dedit egregiam caſtamq; Vir optimè, Nympham.*
*Nunc jubet atq; juvat Schola Regia ſcandere montem*
*Et ſanctæ culmen Sophiæ, tituloq; novello*
*Te donat. Grator; nec non hoc comprecor unum,*
*Sincere populum doceas, feliciter ornes*
*Et paſcas Chriſti, ſummi paſtoris, ovile.*

*Henricus Rahne/ J. D. & Prof.*

NE lateant, Tibi qvæ ubertim ſunt dona ſupernè
Conceſſa ingenii, & vis enthea mentis in umbrâ
Illaudabiliter ne LATERMANNE ſeneſcat,
antè Boruſſorum regali in Monte PROFESSOR
factus es, & meritò qvoq; nunc DOCTORIS honorem
conſequeris, macte his inſignibus ornamentis!
qvæ magè qvàm gemmæ radiant, auriq; nitorem
præſtringunt facilè, his feliciter utere, ut ingens
inde bonum Chriſti grex ſentiat, organon ut ſis
Numinis electum diu, & immortalia tradens
immortale decus qvondam laudemq; perennem
nanſciſcare, precor qvod pectore voceq; fidâ.

*Gratulationis ergò L. Mq;. F.*

*Joachimus Schnobelius,*
*J. U. D. & Prof.*

Theiologis placuiſſe viris ſanè ardua res eſt:
Non cuivis homini hic contingit adire Corinthum;
Theiologis placuiſſe viris licet ardua res ſit,
LATERMANNE, tamen licet hic tibi adire Corinthum:
Invidet haud quiſquam: Chriſtum ſequere, utilis orbi
Eſto: DOCTORIS ſic ritè tuebere nomen.

Johannes Niebaur/ D.

Pretioſa cuncta vincens,
Inæſtimabilisq;,
Licet ſibi ſit Ipſa
Pretium, ſuisq; malit
Radiis micare virtus:
Quàm laude præmiove
Diteſcere aut honore;
Honor tamen ſacram ædem
Virtutis intrat ultro
Pulcherrimisq; ſertis
Ipſas coronat aras
Et macta honore dicit,
Sis macta honore virtus
Virtus refigit illa
Sertisq; doctiorum
Caput implicat virorum.
Virtutis ergo donis
Gaudeto Latermanne,
Gaudeto tuq; Götzi.
Nos, tantus, ut Novellis

Docto-

*Doctoribus ſecunda*
*Et fauſta quæq; ſecum*
*Honor afferat, precamur.*

In honorem L. Mq;. ſcripſit

Joachimus Stockman/ Med. D. & P.
Reip. Roſtoch. patr. Phyſicus.

*Salvus Pruſsiacis rurſus delatus ab oris*
*Latermannus adeſt, ut debita præmia poſcat,*
*Quæ, Phœbi ſpectante choro, patribusq; verendis,*
*Promeruit nulli doctrinæ laude ſecundus.*
*Et benè: nec poterat Doctoris honore carere,*
*Fiant felici ſucceſſu cuncta, nec adſit,*
*Qui Latermanni cupiat proſcindere nomen:*
*Vivat is, atq; diu doceat, ſalvusq; novellam*
*Uxorem videat rediens, placideq; ſeneſcat.*

Stephanus Schultetus, D. & P.

Macte novo titulo, meruiſti inſignia, macte.
Aſt, audi, Chriſto ſerviat omne decus.

*Joachimus Lütkeman/ E.*

*Cum bona permulti dederint tibi carmina* Amice,
*Quare noſtra etiam vilia metra cupis?*
*Confirmet* Summus *reliquorum carmina, noſtra*
*Verſu Pierides omnia vota vovent.*

l. mq;. f.

M. Lucas Bacmeiſterus,
SS. Theol. Prof.

 PROSIT

PROSIT HONOR! ſatis hæc pro voto verba putavi,
Cœtera, per laudes nil opus ire tuas.
Qvi ſibimet famam valet ipſus gignere, non eſt
Virtutis laudes cur aliunde petat.

*Deprop.*

*Andreas Tſchernigius,*
*P. P.*

*Ergo jam ſacro cum ſis redimitus honore,*
*Non invíſa tibi vota libare juvat.*
*(Carmine ſi thalamo neglexi ſcribere, vota*
*Nuncupo conjugio:* CRESCAT AMORE DOMUS!)
*I nunc auratis quo te fert gloria pennis,*
*Quo tua te virtus, quo pia cura trahunt.*
*Urge ſucceſſus, felicibus utere factis,*
*Sentiat ingenii publica dona ſalus!*
*Omnia, quæ dederunt tibi fata, dabuntq́, perennent!*
*Non ſint, quæ turbent otia, litigia!*
*Sint meliora piis! Pax relligioſa colatur.*
*Tranquillam vitam, qui mihi laudat, agat!*

M. Caſp. Mauritius,
P. P.

Sic tandem verax veteris ſententia dicti eſt
Εὐκλείας πόνος ἐστὶ πατήρ. Sic ſubſequa curis
Laurea Theulogiæ ſummo te mactat honore,
Et priſcos ritus, noſtræ monumenta ſalutis,
queis pater omnipotens, cœli terræq́; Monarcha
intonat eloquiis, bene te didiciſſe, docere &
poſſe probat: grator cœli hoc Roſeæq́; favores.
His innixus eris fulcris; ſic DOCTOR, Amice

Veræ

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738057681/phys_0008
DFG

Veræ Theulogiæ (fremat upupa!) ſidere cælum;
Augebis, famaq; ſolum. Deus annue votis!

αὐτοχ. L. M. Q. app.

*M. Auguſtus Varenius.*
*SS. Ebr. Lit. Prof. & Fac. Ph. Dec.*

*NUper in amplexus iret quum* Behmia Virgo,
*Gratabar Sponſo: Quî poſſum, quin tibi grater,*
*Nunc ubi Varniaci Patrum ſacer Ordo Lyæi*
*Indulget capiti, Doctorum inſigne, tiaram*
JANE *tuo & dudum meritos decernit honores:*
*Applaudo & promo quæ mens expromere geſtit:*
DOCTOR AVE; *tibi divini præfulget aura*
*Numinis usq; precor: quæ jam confertur, in annos*
*Germinet innumeros, florens tua laurea: fructus*
*Multiplices ferat inde ſuos* Eccleſia Chriſti,
*Et Schola cœleſtis quæ Verbi munere gaudet:*
*Hæc magis atq; magis terræ inter ſidera clarum,*
*Teq; olim reddat cœli inter ſidera ſidus.*

L. cv.

M. Chriſtianus Michaël,
Paſt. Eccl. Roſt. ad S. Jac.

GRATULATORIUM
*Votivum*
*Honoribus ac titulis*
LATERMANNIANIS
*nuncupatum.*

UT labor aſſiduus, ſtudiis impenſus honeſtis,
Præ gerris Siculis plus gravitatis habet;

Sic

Sic quoq; ſi conſtans quis in illo manſerit, idem
Plus, nec id immeritò, commoditatis habet.
Hem! ſerva Juvenis! ſtudiis ac rebus honeſtis
Intendas animum; Frivola cuncta fuge.
Commoda vis capias, & honeſta ut ſede loceris?
Nil mage ducet eò, qvam labor aſſiduus.
Ecce LATERMANNUM, capientem commoda, ſudans
Quòd fuit in Studiis nocte dieq; ſuis.
Hinc modò Theulogiæ ſupremos carpit honores;
Inde tegit doctum rubra tiara caput:
Hinc Illi Roſeus titulos gratatur adeptos
Hortus, & ex animis fata benigna vovet.
Addo meum votum: conſtans in ſimplice vero
VERBI ſit greſſus, permaneatq; tuus;
Eſto cœcorum Ductor; cœtusq; fidelis
Doctor; & in vera ſis Pietate Typus;
Ut tecum ſalves, omnes, quos duxeris; iſtud
Ex animis voveo: fac rata vota DEVS.

*M. Johannis Steinii, P. Nic.*

*Regius elegit Te mons, Clariſsime Doctor,*
*Ut doceas ſuperi quæ via montis erit.*
*Ergo geres curam montis Regalis ut almo*
*Regi perplaceat cura laborq; DEO.*
*Magnæ molis erit divina oracula pubi*
*Inſtillare; DEUS ritè miniſtret opem,*
*Ut montem cœli cum plauſu cernere poſsis,*
*Et doctis fulgens annumerère Viris.*

Viro Excellentiſſimo
gratul. de honore ſup.
M. Johannes Corfinius,
Eccleſiaſt. Roſtoch.

Si

SI quis Epicharmi reſponſum conſulat, unde
Proveniant homini, quæ cupit ille bona?
Quo Deus hæc medio ſoleat concedere? quippe
Abs mediis vix jam dat ſua dona Deus.
En breve reſponſum: Vendit Deus illa labore,
Qui capit hæc, uno, dona, labore capit.
Quæ tibi, LATERMAN, jam doctus contulit ordo
Præmia, nonne tuus contulit illa labor?
Ergo novos celebresq; tibi nunc grator honores,
His ornes temet, templa, ſcholasq; ſimul.

*M. Nicolaus Riedeman/*
*Eccleſ. Mar.*

*Jam conceduntur laudis Tibi digna brabeia,*
*Quæ tua ſedulitas promeruitq; labor.*
*Varnias hinc gaudet, lætatur & hinc* βασιλαιος.
*Optans Doctori cuncta ſecunda novo.*
*Ac ego jungo preces precibus,* Clariſſime Jane;
*Sit ſibi proficuus hic modo adeptus honor.*
*Et, dū Varnus aquas revomit, tua permaneat laus,*
*Rumpantur quamvis ilia iniqua* malis.

Joachimus Lindemann/
Eccleſiaſt. Petr.

QVo duce, LATERMANNE, tuæ dant præmia vitæ
Muſæ Varniades, munera parta tibi:
Illo nunc qvoq; mella fluant: Eris occidat horrens;
Candida pax vigeat; ſic tibi mella fluent.

*M. Michaël Cobabus.*



Oſtendis

pro ſudore parari
Virtùtem, res qvæ cunctas fulgore decorat:
Te voluiſſe juvat divini oracula verbi,
Et veteres Patres, Doctorum lumina clara.
Hinc meritò meritos magnosq; capeſſis honores,
Quòs tibi decernit Doctorum docta corona.
Accipias titulum hunc clarum Duce & Auſpice Chri-
Omnia ſic cedent feliciter atq; beatè. (ſto,
Hoc precor, hoc voveo devoto pectore toto.

*M. Matthæus Voland, MF.*

*ANtiquæ haud poterat littora Tröjus*
*Matris Dardanides cernere, nec ſolum*
*Optatum, ante labores*
*Quàm multos toleraverat.*
*Nam fatô profugus pellitur Æoli*
*Diversâ rabie & fluctibus æquoris;*
*Sic Junonis ob iram*
*Tentavit memorem aleam.*
*Nunc Thracũ & Strophadum præteriit loca;*
*Nunc turbat trepidam Scylla furens ratem:*
*Tandem Ditis Averna*
*Cumæâ penetrat duce.*
*Sic hucusq; Tibi non erat integrum*
*Latermanne, ſcopum tangere, præmia*
*Ut ferres, niſi molis*
*Æſtù ritè caleſceres.*

Hoc

*Hoc volventem animô, te vigilem ſatis*
*In Ponto Aönidum præſtitit hôc amor:*
*Tu quid Roma & Athenæ,*
*Quid norant Solyma, id doces.*
*Hinc non immeritò Principibus places,*
*Quorum munificæ jure beant manus*
*Claros arte, viroſq;*
*Dant tutò requieſcere.*
*Nunc Muſas iterum Varniades petis,*
*Ut captes titulum poſt alios novum:*
*Hinc DOCTOR novus audis;*
*Quô Tu clarior emicas.*
*Doctoram ergò Tibi carmine gratulor,*
*Augmentumq; precor pectore nomini:*
*Vivas longiùs, atque*
*Famam ſidere termines!*

Burchard Küſter/ *Dan: Lunæb.*

Sancta licet ſubeat diſcrimina plurima virtus;
Non tamen opprimitur; nec cadit artis honos.
Non opus exemplis: docet Experientia teſtis,
Illa qvod Eximios mactet honore Viros.
Multa LATERMANNUS qui pertulit inclytus heros,
Captat Doctoris, Numine dante, gradum.
Livor abi, fruſtrà tua ſunt molimina, tentas
Vana, manet virtus inclyta, livor abi.
Stet virtutis honos, virtutis fama perennet,
Aut potiùs mundi machina tota ruat.

*Dn. Affin. ita applaudit.*
Bartholdus Behmius.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738057681/phys_0013
DFG

Gleich wie ein Krieges-Held/ wenn er den Feind geſchlagen/
Zugleiche Krantz und Ehr erfreut pflegt wegzutragen/
Alſo glänzt euer Häupt itzund/ Herr Latermann/
Durchs geiſtliche Bareth/ das keiner tragen kann/
Er kämpffe dann wie Ihr. Zieht hinn/ begrüßt nun wieder
Den Königlichen Berg/ den Dach durch ſeine Lieder/
Der Außzug aller Kunſt/ biß an die Sternen hebt/
Geht/ weiſet eure Zier nach der Ihr habt geſtrebt.
Mich dünckt ich ſehe ſchon das Licht der hohen Preuſſen
Den groſſen Böhmen da/ wie er ſich wird befleiſſen
Daß Ihr willkommen ſeyd; wir aber ſchreyn Euch nach;
Glück auff die Reyſe hin/ biß unter euer Dach.

Henrich Held/ J. U. St.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn738057681/phys_0015
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn738057681/phys_0016
DFG

*Hoc volventem animô, te vigi*
*In Ponto Aönidum præſtitit hô*
*Tu quid Roma & Athe*
*Quid norant Solym*
*Hinc non immeritò Principibu*
*Quorum munificæ jure beant n*
*Claros arte, viroſq;*
*Dant tutò requieſcer*
*Nunc Muſas iterum Varniad*
*Ut captes titulum poſt alios no*
*Hinc DOCTOR novus*
*Quô Tu clarior emi*
*Docturam ergò Tibi carmine*
*Augmentumq; precor pector*
*Vivas longius, atque*
*Famam ſidere termi*

**Burchard Küſter, ab.**

Sancta licet ſubeat diſcrimina plurima virtus;
Non tamen opprimitur; nec cadit artis ho
Non opus exemplis: docet Experientia teſtis,
Illa qvod Eximios mactet honore Viros.
Multa LATERMANNUS qui pertulit inclytus
Captat Doctoris, Numine dante, gradum
Livor abi, fruſtrà tua ſunt molimina, tentas
Vana, manet virtus inclyta, livor abi.
Stet virtutis honos, virtutis fama perennet,
Aut potiùs mundi machina tota ruat.

*Dn. Affin. i*

**Barth ius.**

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738057681/phys_0017
DFG